

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Sebastiani Castellionis Sacrorum Dialogorum Libri
Quatuor, Quos Postremo Ipse Recognovit: Argumenta
Singulis Dialogis Praeposuit, Et Sententias Sublicit ...**

Châteillon, Sébastien

Francofurti, 1761

VD18 12886300

Gedeon Tritvans.

urn:nbn:de:gbv:45:1-18303

gestit animus, jubetque audere ulcisci hostem Dei & bonorum. Periisti Sisara: fœminea vi fœminea manu interimeris. *B.* Quis mihi nunc, quis demonstret, quo fugerit hostis? Quem ego si asscutus fuero, dispeream nisi ei animam eripio malis modis. Sed quo se surripuit? quo fugit? *J.* O Deum immortalem, quantum ego facinus feci! quantam laudem inveniet Jael! Sed video-ne Baracum? Ipse est: sectatur hostem jam jacentem. Barace, huc sis ad me, ut tibi common-strem hominem quem queris. *B.* Obscro, est-ne is apud te? *J.* Videbis. *B.* Proh Superi, quid video? Sisaram jacentem humi exanimem? quis hoc fecit; *J.* Mulieris factum vides. *B.* At non muliebre tamen. Sed quæso, tune hoc fecisti? *J.* Ipsa res indicat. *B.* Video: sed narra, obscro, quo pacto egeris. *J.* Vidi fugientem, jussi, ut ad me veniret, eumque operui centonę. Deinde cum jam quiesceret, cepi clavum, quem malleo adegi in tempus ejus. Ille pro voluntus ad pedes meos, efflavit animam. *B.* Utinam sic pereant, quotquot adversantur Deo.

SENTENTIA.

Turpi morte digni sunt, qui Deo aut ejus populo adversantur. Debilium manu vincit Deus fortes.

GEDEON TRITVRANS. Judic. 6.

ARGVMENTVM.

Genius Gedeonem mittit ad debellandos
Madianitas.

Genius,



Genius, Gedeon.

Adsit tibi Jova, vir fortissime! *Ged.* Quæso te domine, si adest nobis Jova, cur tam dira patimur; Vbinam sunt tot ejus mira facinora, quæ nobis narravere maiores nostri, nos ab eo esse eductos ex Ægypto: cum nos nunc deseruit, & addixit Madianitis? *G.* Vade cum tua ista virtute, & defende Israelitas a Madianitis. Ego sum tibi autor vadendi. *Ged.* Amabo te domine, qua tandem defendam Israelitas, qui sim tenuissimus omnium Manassenium, & minimus totius paternæ familiæ? *G.* a) Adjuvante me concides Madianitas ad unum. *Ged.* Quæso te, nisi molestum est, ut signo aliquo mihi confirmes, te eum esse, qui mecum loquare. Noli discedere hinc, donec redeam ad te, & expromam b) dapem, quam faciam apud te. *G.* Præstolabor tibi. *Ged.* Paravi omnia. *G.* Pone carnem & panes non fermentatos super hoc saxo, & effunde jus. *Ged.* Hei mihi! ignis c) consumpsit omnia. Jovæ Genius est: me miserum, qui viderim Genium Jovæ. *G.* Salvus es: pone metuum, non ideo moriere.

SENTENTIA.

Dei ope quivis quidvis potest.

GEDEON.

a) Adjuvante Deo vel infimi maxima præstant.

b) Dapale munus, Deo libandum.

c) Videlicet de cælo delapsus.



GEDEON. Judic. 7.

ARGUMENTVM.

Gedeon delectu habito, demissisque domum imbellibus, castra Madianitarum noctu explorat, deinde cum trecentis militibus agressus profligat.

*Jova, Gedeon, Præto, Phara, Madianita,
alter Madianita, Milites.*

Gedeon, tu nimis multos habes milites. Quod si cum ipsis copiis vinceretis hostes, Israelitis jactarent se victoriam adeptos esse ^{a)} suo marte: atque ita ego non laudarer, sed ipsi: id quod detraheret meæ gloriæ. Proinde cura, ut proclametur in exercitu, ut timidi repeatant domum, & discedant ex monte Galaado. *G.* Præco, indica timidis & cæteris discessum, secundum legem, ut nosti. *Pr.* Audite, audite milites. Si quis ædificavit novam domum neque dedicavit, is domum repedato: ne si in prælio occubuerit, aliis eam dedicit. Item si duis vineam confevit, neque ^{b)} profanavit, domum repedato: ne si occubuerit in prælio, aliis eam profanet. Item, si quis uxorem despontavit, neque duxit, domum repedato: ne si in prælio occubuerit, aliis eam ducat. Item si quis timidus est, & molli animo, domum repedato: ne animi sui mollitie effeminetur animos aliorum. *G.* Recte est, restant decem milia:

^{a)} Sua ope.

^{b)} Ejus fructu usus est, id quod fiebat quinto post eam satain anno. Liv. 15.

